Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ille timor ea neglecta ne dignitatem quidem posse reti-
neri.
Quintilianus declamationum viij. decla. laboribus oportet
incumbere ubi effectus promittitur. Stulta circa est qui
spem non habet.
Seneca de beneficiis libro vij. et fi. Solet plus prodesse
si pauca precepta sapientie teneas sed illa in promptu
et usu sint quam si multa quidem didiceris sed illa non
habeas ad manum. vide S. Idem de ira libro ij. Non
expedit omnia audire.
Luchanus libro viij.
Dat penas laudata fides cum sustinet inquit
Quos fortuna premit fatis accedere deorum.
Et cole felices miseros fuge.
Adversus non desse decet sed leta secutos.
nulla fides umquam miseros elegit amicos.
Lex. ff. ti. fa. her. l. iiij. Sepe solutio et executio pacti
non minima incommoda habet. Ibidem ti. de le. ij. l. si
cui fundus. Sepe confines fundos et super extima-
tionem iusta interest nostra acquirere.
Fulgentius Mithologiarum in prohemio. Ubi emolumentum
deest negotio, causa cessit inquiri.
Cato. ca. ij.
Que nocitura tenes quamvis sint cara relinque.
Utilitas opibus preponi tempore debet.
Idem ca. v. et fi.
Res age que prosunt. rursus vitare memento
In quibus error inest nec spes est certa laboris.
Versificator fabularum Esopi fabula xxviij.
Nullus amor durat nisi fructus servet amorem.
Quilibet est tanti munera quanta facit.
Autor libri qui dicitur pamphilus ca. xiiij.
Quos non mercis opes sua semina mandat harene
Cum mercede labor gratior esse solet.
Gualfredus in poetria. ca. xl.
Quis famis ad utile torpet.

De effectu verborum et operum ca. ij.

Aristoteles Ethy. libro x. et fi. ca. primo. de hiis que in
passionibus et actibus sunt sermones sunt minus cre-
dibiles operibus. Sermones convenientes cum operibus
creditur propter quod provocat et vivere intelligentes secundum
ipsos.
Ovidius de fastis libro vj. et fi.
Exempla parant
Cum iudex alios quod monet ipse facit.
Augustinus in Epigramatibus prosperi vj. Epigramate.
Bene loqui et male vivere. nil aliud est quam se
sua voce damnare.

De vanitate et sumptuositate humanorum actuum. capitulum iij.

Yhesus filius sirach in Ecclesiastico ca. xxxiiij. Somnia ex-
tollunt imprudentes. Divinatio erroris et auguria.
Mendacia et somnia malefacientium vanitas est.
Multos errare fecerunt somnia et exciderunt sperantes
in eis.
Psalmista xxxviiij. psalmo. Beatus vir qui non respexit in
vanitates et insanias falsas.
Philon in libro sapientie ca. primo. non acquiratis per-
ditionem operibus manuum vestrarum.
Salustius in Iugurthino. Frustra niti neque aliud se
fatigando nisi odium querere extreme dementie est.
Ovidius epistolarum epistola v.
Quid facis Oenone quid harene semina mandas?
Non profecturis litora bobus aras.
Johannes epistola ij. ca. primo. videte vosmet ipsos
ne perdatis que operati estis sed mercedem plenam
accipiatis
Paulus prima ad thymo. iiij. capitulo. Ineptas autem
vanas fabulas devita. Idem ij. ad thy. ij. ca.
prophana et inania eloquia devita. Iuvenilia desi-
deria fuge ineptas questiones devita.
Seneca epistolarum ad lucillum libro vj. epistola vj. Que
dementia est supervacua discere in tanta temporis egestate.
Idem libro viij. epistola prima. Supervacua ex animo toll-
enda sunt. Idem libro viij. epistola xj. et fi. Non
tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit
ut aliquid ex eo vacet perdere. Idem de beata
vita. Non mittet sapiens in supervacuum nec se nichil
profecturis impendet. Idem de septem liberalibus artibus.
Quid refert pervidere quod effugere non possimus.
plus scire velle quam sit satis intemperantie genus est. non
Audi quantum mali faciat nimia subtilitas et quam
infesta veritati sit. Pictagoras ait de omni re in utram-
que partem disputari posse ex equo et de hac ipsa an
omnis res in utramque partem disputabilis sit. Nausip-
hanes ait ex hiis que videntur esse nichil magis
esse quam non esse. Parmenides ait ex hiis que
videntur nichil esse in universo. tota rerum natura
verbosa est aut inanis aut fallax.
Iuvenalis libro primo satyra prima.
Peniteat multos vane sterilisque cathedre.
Martialis cochus libro undecimo suscepto ca. v.
Frustra aut niti lites odiumque subire
Extremus furor est simulque stultitia.
Augustinus in epigramatibus prosperi. Epigramate
lxxiij. vana gerenti nichil sufficit.
Fulgentius Mithologiarum in prohemio. Inefficax stu-
dium penitus res que caret effectu.
Versificator fabularum Esopi v. fabula.
Non igitur debet pro vanis certa relinqui
Proverbium vulgare. Gloria vana florescit ma